

Corvinus et Laurentius de Wylak. Sunt praeterea Comites Perpetui et Liberi, utputa: Spectabiles et Magnifici Domini, Stephanus de Zapolya terrae Scepusiensis, nec non Joannes et Sigismundus de Bozyn et de Sancto Georgio, cum fratribus eorum, ac Comites de Frangepanibus et de Corbavia, qui instar Baronum Banderia habentium, secundum exigentiam facultatum et numerum Jobagionum ipsorum, exercituare tenebuntur.

*Proventus Regii, Lucrum Camerae, Quinquagesima et Mardurinae, quomodo exigantur?*

#### A r t i c u l u s 26.

Lucrum Camerae in Regno Ungariae, Quinquagesimam in partibus Transylvanis, ac Mardurinas in Regno Sclavoniae exigi consuetas; Majestas Regia, more ab antiquo consueto, temporibus videlicet quondam Dominorum SIGISMUNDI et ALBERTI Regum, exigi faciat. \*)

*De Palatini auctoritate, Judicibus, Officialibus Regiis, Comitibus et Assessoribus, Vices-Gerentibus, Proto-Notariis Judicum Ordinariorum, ac forma juramenti eorum.*

#### A r t i c u l u s 33.

§. 1. Et ut omnis suspicio, quae contra ipsum Palatinum et alios Judices, et Justitiarios ipsius Regni, de favore, vel odio, aut quomodocunque concipi possit, de cordibus quorumlibet penitus removeatur et tollatur; semper successivis temporibus, omnes et singuli Judices, et Justitiiarii istius Regni, tam Ecclesiastici, quam Saeculares, qui videlicet in Palatinum, Judicem Curiae Regiae, Magistrum Tavernicorum Regalium, Cancellarium, vel Vice-Cancellarium Regalem, in Proto-Notarios, vel Vices-Gerentes Judicum praetactorum, ac etiam Assessores eorundem in judicio, in Waywodam Partium Transylvanarum, Comitum Siculorum, Banum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Banum Machoviensem, ac Comites quorumlibet Comitatum, et Judices Nobilium eligentur et assumuntur, eorundemque in judicatu Vices-Gerentes, substituti et assessores, tempore receptionis eorundem, ad hujusmodi honores et officia administrationis judicii et justitiae; in manibus Regiis, vel deputatorum ab ipsa Majestate Regia, juramentum praestare teneantur. \*\*)

*Octavae duae, in Transylvania, et Sclavonia, celebrentur.*

#### A r t i c u l u s 41.

Item, quod in Transylvania et Sclavonia, similiter singulis annis, aliae duae Octavae, videlicet: Epiphaniarum Domini et Sancti Jacobi celebrentur.

\*) Andr. II. a. 27. Ludov. I. a. 12. Albert. a. 7.

\*\*) Sigis. Decr. 6. a. 1. Mat. Decr. 6. a. 73.